



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis atque
Amplissimis*

**DNN. BURGGRABIO REGIO,
PRÆSIDI, PRÆCONSULIBUS, ET CONSULIBUS**
Reipubl. Thoruniensis gravissimis, Patronis ac Promotoribus meis æternùm colendis.



Usburgium, antiquissimum Prus-
sicae Historiae Scriptorem, Animadver-
sionibus & Notis illustratum, Antiqui-
tatesque Prussicas, Vestris, Patroni,
nominibus inscribo confecroque. Nec fas est
Thorunii publico munere fungenti, alios extra
Thorunium quærere Scriptis suis Patronos.
Quanquam enim hi, quos offero, foetus Regio-
monti primò concepti, per varias deinde Prussiae
urbes non exiguis incrementis aucti sunt; tamen
Thorunii ultimam adepti perfectionem, Patriam,
(a) 2 quæ

quæ, iudice Tullio, una omnes omnium caritates
 comiecitur, tandem invenere. Neque est, quod
 eos Patriæ hujus poeniteat, à cuius claritudine plu-
 rimum lucis accipiunt. Non tangam hîc tempo-
 ra recentiora; sed cum in Antiquitatibus eruen-
 dis occuper, ex antiquo etiã Thorunii statu lucem
 ipsis foenerabor. Thorunium urbs urbium Prusfi-
 carum est antiquissima, quæ prima gremio suo
 Germanos excepit, primamque iisdem contra
 Prussos tunc temporis adhuc ethnicæ superstitioni
 deditos aperuit portam. Et licet Culmensibus
 hæc gloria vulgo tribuatur, ex Dusburgensi tamen
 nostro non tantùm satis manifestè elucet, Thoru-
 nium esse antiquius; sed etiam non obscure colli-
 gitur, unde factum sit, quod Culmæ prærogativa
 postmodum sit attributa. Videlicet cum Thoru-
 nium illud vetus in hunc, in quo nunc situm est,
 locum transferretur, Culma, quæ paulò ante novū
 Thorunium erat excitata, palmam & huic præri-
 puit. Verùm ut Culma prærogativam casu tan-
 tùm quodam adeptæ est, ita eam non diu servavit.
 Posteaquam enim Sec. XV. sub imperio Poloni-
 co, Cruciferorum rebus favore deprehensa est, re-
 cupe-

cuperavit Thorunium pristinam sibi que debitam
 prerogativam, ut & hodie caput Pruslicarum ur-
 bium censeatur. Respondebant etiam huic Tho-
 runiensium gloriæ pares opes divitiæque. Ab ipsis
 quippe incunabilis urbs hæc vela dimittebat in
 Daniam, Sveciam, Brabantiam, Flandriam alias-
 que Europæ partes. Fabulis quidem hæc non absi-
 milia multis hodiernam Vistulæ conditionem
 considerantibus esse videbuntur: sed ut Acta pu-
 blica Urbis hujus fallere nos non queunt, ita facile
 quoque dubiis his occurritur. Nimirum alveus
 Vistulæ multò quondam erat arctior, eoque pro-
 fundior, ut magnarum quoque navium capax ef-
 fet. Circa initia verò Sec. XV. Vistula crebris inun-
 dationibus alveum suum egressa, sabulo multa
 oplevit loca. Quare liberiore jam cursu gau-
 dens navigationes dictas magno Thoruniensium
 Culmensiumque damno stitit. Præter externas
 autem illas divitias quanta hîc Deum immorta-
 lem! semper fuit rerum omnium abundantia?
 Unicum tantùm commemorabo, quod fidem
 vix apud posteritatem inveniet. Vini quondam
 tanta his in locis fuit copia, ut nulla fermè circa
 Thorunium fuerit villa, quin vineis amoenissimis
 fuerit

fuerit confita. Patrum adhuc memoriâ juxta Thorunium ex Vineis ad Vistulâ sitis vinum fuisse expressum, vel in vulgus notum est. Ex his atq; talibus plurimis, quæ in ipsis Antiquitatibus & Animadversionibus ad Dusburgensem commemoramus, de Patria adeò celebri opus hocce nostrum sibi potest gratulari. Suscipite igitur, Viri Magnifici ac Nobilissimi benigno vultu, quod in urbe vestra natum, illudq; benevolentiam vestram prosequimini. Quod si hoc patrocinio vestro fovere non fueritis dedignati, ad plura id genus audenda me facietis alacriorem. Interea Deum Opt. Max. precabor, ut non solum Vos omnes in Reipubl. Vestrae commodum atque incrementum diu servet sospites atque incolumes; sed ut semper etiam, quod Ennius de Romana, de Vestra dicere queamus Vrbe

Moribus antiquis res stat THORUNNA Virisque.

Dabam Thorunii
d. 22. Junii
An. MDC. LXXIX.

Magnif. atq; Amplitud. Vestrarum

Clientis addictissimus

M. CHRISTOPHORUS *Hartknoch*
in Gymnas. Thorun. Profess.